

et in postmodum concedenda sunt, firma stabilitate perpetuoque iure inconvulsa permaneant; iuxta quod eadem venerabilia loca apostolico, imperiali regioque constituto privilegioque constant munita, nec liceat cuiquam magnę vel parvę persone ex omnibus inibi pertinentibus demere quicquam; ut profecto preterea id vigilanter huic apostolico decreto inserere atque canonica auctoritate roborare curavimus, ut defuncto per successionem abbate, secundum quod a iam dictis regibus nec non et imperatoribus est diffinitum, ex utrisque in unum cęnobiis confluentibus monachis habeant sine simulatione, sine exceptione persone, sine respectu peccunię secundum sancti Benedicti regulam abbatem eligendi liberrimam optionem; ea tamen preponderante ratione, Malmundrensiū pace, ut quia beatus Remaclus, utriusque monasterii constructor et Tongrensiū antea episcopus et pastor, maluit in altero eorum, id est Stabulensiū locum sepulturę sibi deligere, ipsi primam electionis optineant vicem, si apud eos melior meritis et instructor litteris inveniatur. Si autem non illic sed Malmundarii melior repperiatur utrique loco preficiendus, ab eo potius, quam ab externis assumptus¹⁾ intro-mittatur.

Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu pręsumpserit his, quę a nobis ad laudem Dei pro stabilitate iam dictorum monasteriorum statuta sunt, refragari²⁾ aut hęc in quoquam transgredi²⁾, sciat²⁾ se²⁾ anathematis vinculo innodatum et cum diabolo et eius atrocissimis pompis atque Juda traditore domini nostri Jesu Christi ęternis incendiis concremandum. At vero, qui pio intuitu observator et custos in omnibus extiterit huius nostri apostolici constituti ad cultum³⁾ respicientis, benedictionis gratiam a misericordissimo domino Deo multipliciter consequatur et vitę ęternę particeps effici mereatur.

† Dat. III^o non. Sept. per manus Petri diaconi bibliothecarii et cancellarii sanctę apostolicę sedis anno domni LEONIS noni papae I^o, indictione III^a.

B.

LEO EPISCOPUS SERVORUM DEI THEODERICO⁴⁾ religioso abbati venerabilis monasterii sancti Petri sanctique Remagli Stabelao positi suisque successoribus in *perpetuum*.

Tunc summę apostolicę dignitatis apex in hoc divini prospectus amore dinoscitur prefulgere, si in *adquirendis* Dei laudibus sui impensius studeat laboris exhibere certamen; ob hoc nos debita eiusdem apostolicę pastoralis compellit sollicitudinis cura, ut quę ad stabilienda piorum pertinere dino-

1) Orig.: assuptus. 2) Im Orig. schwer lesbar. 3) sic! fehlt wohl Dei? 4) So weit Uncial, obwohl die erste Zeile damit noch nicht zu Ende ist.